

Celeberr. Dn. D. Volckameri. Quæ notabilis observatio, si & alibi curiosos Mathematicum cultores excitaret, fortasse & in aliis locis simile discrimen deprehenderetur.

(61.) Jo. Sig. Elsholzius, Anno 1676. Berolini edidit Observationem de quatuor Phosphoris, nimirum de Bononiensi, de Hermetico, de Smaragdino, & denique de Fulgurante; eiqve præfixit tale epigramma:

Vnicus in cælo scintillat Phosphorus: atqui

Inferior jamdum quatuor orbis habet.

Sic neq; Thebarum portæ, minus Ostia Nili

Sufficient: plures secla futura dabunt.

Neqve fefellit eum præfagientis animi divinatio, non diu enim post Quintus accessit Phosphorus, quem Liquidum nuncupavit, observationemqve de eo seqv. Anno 1677. subjunxit: quas vide. Non dissimulandum tamen est, quartum illum Phosphorum per vices fulgurantem nihil aliud esse, quam ipsum Lumen perpetuum, à Dn. Joh. Kunkelio, Sereniss. Saxonix Electori à secretioribus laboribus Chæmiæ & Cubiculi ministeriis devoto, ante paucos annos inventum; prout videre est ex peculiari quadam CL. Kirchmajeri dissertatione, quam de Invento illo sub titulo, Notæ luci constans & per vices fulgurans, ante hos tres annos Wittebergæ publicavit, ad quam curiosum Lectorem ablego.

(62.) teste Ephem. Erud. XLII. anni 1666.

(63.) Guilielmus Harvæus, Medicus Anglus Celeberrimus, Circulationem sanguinis, h. e. motum ejus perennem, quo ille continuo à corde per arterias expellitur, & ad cor per venas revertitur, non casu, sed consilio primus invenit. Sed dolendum impensè est, nobilissimum hoc inventum, quod aliis omnibus antecellere excellentissimi Anatomicorum confitentur, tam iniquis sub initium exceptum esse fati! Quamprimùm enim doctrinam hanc divulgasset Harvæus, dici non potest, quam importuno fervore in ipsum insurrexerit universa Medicorum turba, inauditam hanc novitatem verbosâ philosophiâ, & ventosis argumentorum machinis oppressura. Sed postquam Harvæus ipsam & sensuum experienciâ confirmasset, & oculis manibusq; quibusvis rei Anatomicæ peritis luce meridianâ clariùs exhibuisset, non fuere tamen nulli, qui cum Sebitiis manifestissimam veritatem pertinacissimè oppugnarent, aut cum Parisano, Primirofio & Leib-

Leib-